



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXXIX. Purgatorium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XXXIX. PURGATORIUM.

§. I.

Afferitur, & probatur.

Spiritu S. & igni. Matth. 3. 11. Origenes hom. 24. in Luc. accipit ignem purgatorii. q. d. Christus suos Fideles cum peccatis venialibus descendentes expiabit igne purgatorii. Cornelius hic.

Qui in Spiritum S. peccaverit, non remittetur. Luc. 12. 10. Matthæus addit c. 12. 32. non remittetur neq. in hoc seculo, neq. in futuro. Ex quo aperte colligitur, purgatorium esse; & peccata in alio seculo remitti. Nam si nullum peccatum in futuro seculo remitteretur, superfluo sermone usus fuisset Christus, apponendo, *neq. in futuro.* Stella hic.

Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis &c. 1. Cor. 15. 29. Baptizantur, scilicet metaphoricè baptismò afflictionum, lacrymarum, precum &c. ut suffragentur animabus purgatorii. Hòc sensu sæpe alibi accipitur baptismus: ut Marci 10. 38. Luc. 12. 50. Pf. 31. 6. Cornelius hic.

Deinde pro defunctis SS. Patribus, & Episcopis; denique pro omnibus, oramus, qui inter nos vitâ functi sunt; maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio, sancti illius, & tremendi, quod in altari positum est, sacrificii. S. Cyrilli. Jerof. Catech. myst. 5.

§. II.

Purgatorii pœna.

Ille purgatorii ignis durior erit, quàm quidquid potest pœnarum in hoc seculo, aut cogitari, aut videri, aut sentiri. S. Cæsarius Arel. hom. 1.

Pœna purgatorii, quantum ad pœnam, damni, & sensus, excedit omnem pœnam istius vitæ. S. Vinc. Ferr. f. 3. D. 1. Adv.

Sicut Mundus debuit mundari, & purificari, per aquam tempore Noe, sic etiam Deus ordinavit duo diluvia ad purificandum animas: scilicet diluvium aquæ baptismalis, ad refrigerandum fomitem culpæ originalis, secundum diluvium ignis purgatorii: quia post baptismum refrigeramur, & efficimur negligentes. Ubi anima baptizatur ab Angelo bono, ut determinat S. Thomas: quia Diabolus jam victus est per illum, qui ducitur ad purgatorium; idè victus non debet incarceratione victorem. Id. f. 1. Dom. 4. Adv.

B. Veronica de Binasco V. febr. laboravit ex visione purgatorii. Bollandus 13. Jan. •

§. III.

Motiva juvandi animas purgatorii.

Ex Vesperis, & Novo.

Benedictus sit à Domino: quoniam eandem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit & mortuis &c. Ruth. 2. 20. dixit Noëmi de Booz.

Da partem septem, nec non & octo. Eccles. 11. 2. Nonnulli per septenarium accipiunt pauperes viventes; per octonarium defunctos degentes in purgatorio. q. d. da elemosynam pauperibus viventibus in septimana hujus vitæ; da & defunctis, qui ex hac vita transierunt ad purgatorium; ubi expectant octavam felicitatis aeternæ. Cornelius hic.

Facta collectione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium &c. 2. Mach. 12. 43.

Adveniat regnum tuum. Matth. 6. 10. Et in ista eadem petitione pro illis oramus, qui sunt in purgatorio. S. Edmundus Cant. Spec. Eccl. c. 17.

Ubi duo, vel tres, congregati fuerint in nomine meo. Matth. 18. 21. Tunc Clerici congregati sunt in nomine JESU; quando procurant honorem DEI, & salvationem animarum viventium, & defunctorum. S. Vinc. Ferr. f. 7. Dom. in Alb.

Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Marci 16. 1. Fœminæ ferentes unguentum ad unguendum Christum mortuum, mortuorum meminisse nos docent. Illa corpus ungerere volebant unguentis corporalibus; nos animas in purgatorio unguentis spiritualibus, id est, precibus, elemosynis, sacrificiis, ungamus. Imitemur Pammachium, de quo Hieron. in consolat. ad eundem: cœteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, florèsq. purpureos: Pammachius ossa veneranda elemosynæ rigat balsamò. Barradius t. 4. l. 8. c. 6.

Tulerunt ergo lapidem. Joan. 11. 41. Posset Christi virtus, ut Lazarum à sepulchro, sic & sepulchri lapidem simul tollere; sed maluit id operis aliis mandare, quod & ipsi fecerunt. Cur hoc maluit Dominus? quia defunctorum levamen possunt, ac debent, vivi homines procurare. Et sanè parvis laboribus nostris ingentes defunctorum labores possumus tollere. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 37.

Ex Patribus, & aliis.

Sic plena misericordia ostenditur, si non solum vivis in hoc Mundo, verum etiam morte oppressis, & in tenebrosis abyssi recessibus sedentibus, dimissionem prædicaverit. S. Cyrill. Alex. l. 11. c. 3.

Latius debet &c. cor Christiani, quàm cœlum & terra, in benevolentia: quia recipere debet vivos, & mortuos, de paradiso, & purgatorio. S. Vinc. Ferr. f. 7. Dom. 16. Trinit.

Exempla.

B. Catharina Bonon. dicere solebat, quando cupio ab æterno Patre gratiam aliquam impetrare, recurro ad animas purgatorii, ut meò nomine apud ipsum legatione fungantur; atq. interventu earum me exaudiri sentio. Bolland. 9. Martii c. 12.

Post

Post mortem B. Lidwinæ V. sub capite ipsius positus est sacculus quidam cum lacrymis ejus sanguinis, quas ex commiseratione erga animas purgatorii effuderat, à frigore condensatis. Bolland. 14. April. c. 13.

Religiosus solebat cœmeterium obire orans pro sepultis. Illò dein infirmatò vidit ad mansionem ejus procedere processionem pulchram in albis. Unò illorum vocatò, rogavit, qui essent? respondit: sumus animæ, quarum corpora in hoc jacent cœmeterio; adjutorio illius infirmi de pœnis liberatæ: ob id nunc ei gratæ occurrimus. Broymard. orare pro defunct.

§. IV.

Media, & praxes, eas juvandi.

*M*inus absconditum extinguit iras. Prov. 21. 14. S. Thom. Aqu. opusc. 58. c. 25. iras Dei, pœnas purgatorii. *In sanguine testamenti tui emisisti vinculos de lacu.* Zach. 9. 11.

Scala cœli, dictum Romæ B. Mariæ templum, Origo nominis hinc est, quòd in eo S. Bernardus, pro defunctis celebrans, in raptu viderit à terra usque in cœlum scalam porrectam, per quam multæ animæ comitantibus Angelis ascendebant. Paulus Atingi de Roma nova.

Monentur parvæ Israelitarum familiæ Ex. 12. 4. quòd si pauciores fuerint, quàm par est, ad integri agni esum, assumant vicinum. Nonne reliquias poterant igne absumere? Lex illa cœlestis agni esum respiciebat: quò ita implendi erant Fideles, ut aliis communicare de plenitudine cogrentur, nimirum in purgatorio de tentis. Hinc ille mos receptus in Sacris, quò hostia in tres partes à Sacerdote dividitur: quasi ipse non possit totam divini epuli virtutem sustinere, nisi cum vicinis dividat, quibus duas partes tribuat. Theodoretus: *assument vicinum.* Hoc præcipit Deus, ut fraternum amorem, atque erga pauperes misericordiam, illos doceret. Baetz. t. 1. l. 3. c. 8. §. 33.

Esurit Daniel in lacu leonum. Dan. 14. 33. Cœtus videlicet Fidelium in purgatorii lacu mesorum. Fer prandium mesorum, laborantium in Ecclesia viatorum. Refocillabit eos cibus tuus iste: portabitur in momento; & hoc in cincinno uno capitis tui, qui cincinnus est unica mentis ad eorum refectionem intentio. Gerson tr. 9. sup. Magnif.

Antequam comedo, suspiro, ait S. Job. 3. 24. Ex quo verbo, pietatis, & compassionis, innuitur opus; ut nunquam cibum corporalem sumas, nisi prius Fidelibus defuncti aliquam spiritalium elemosynam mittas. Id. ep. de pia mem. def.

Cœmeteria sunt juxta templa; ut transeuntes mortis, & mortuorum, memores simus. De nobis nè conqueri possint verbis Ps. 128. 8.

& non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos. Marchantius Dom. 15. Pent.

§. V.

Purgatorium evadendi media, & praxes.

*A*nte obitum tuum operare justitiam. Eccl. 14. 17. Vult, ut contractum apud divinam justitiam pœnarum debitum voluntariâ corporis castigatione expungamus, antequam nos mors occupet, & divinæ justitiæ ministris nos tradat. Segneri f. 9. D. 1. Ven.

Et portaretur ab angelis in sinum Abrahamæ. Luc. 16. 22. Non in purgatorium, sed in Abrahamæ sinum deportatur. Mirum, veteris legis observatorem tam perfectum extitisse, ut nullò piaculò sceleretur, quod esset purgatoriò igne expiandum. Escobar t. 6. Par. Chr. l. 3. Sect. 2.

Recepisti bona in vita tua. Luc. 16. 25. in qua si aliquid de genere operum bonorù egisti, mercedem tuam ultra condignum sortitus es: nullum enim bonum Deus irremuneratum relinquit. Et Lazarus similiter in vita sua recepit mala, id est, mala pœnalitè, paupertatem, infirmitates, famem, opprobria, copiosè perpeffus est: per quæ culpæ ejus quotidianæ quali per ignem purgatæ sunt. Dion. Carth. hic.

Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque ventam huc haurire. Joan. 4. 15. Mulier utilitate aquæ adducta, aquam petiit, ob duplex commodum, ut ait Carthus. Primò ut à pœna sitis sit libera, *ut non sitiam.* Secundò, ut labore hauriendi eripiatur: *nè ventam huc haurire.* Sylveira hic. Applica purgatorio.

O filii hominum! tempus purgationis advenit, quando mater summæ puritatis, de cuius purgatione dies festus est nobis, pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis, quò debeamus purgari. Satius est, ò fratres, & suavius, fonte purgari, quàm igne. Guarrie. f. 4. de purif. Mar.

Quoniam dilexit multum. Lucæ 7. 47. Dulce purgatorium, tolerabileque præter asperum sensum contra tenerum sensum; amœnum, atque suave; possibile adhibendum, inexcusate non habitum. Commune omnibus est dilectio; cujus virtute non solum peccata purgantur, pœnaliter, sed dulciter remittuntur. Sim. Cass. l. 9. hic.

Miscellanea.

S. Francisca Romana, ostensò sibi divinitus purgatoriò, vidit in introitu hanc inscriptionem: hic est purgatorium, spei locus; & animæ hic existentes habent intervallum pro defiderio. Vita l. 3. c. 3.

